nitatibus, dolis, vitiis, & libidinibus: Rectius hic Author, eiuſque ſequaces, ab aliorum oculis, qui Marſos & Pſyllos imitantur, ſeſe abſconderunt & ſubduxerűt: Non enim fidendum eſt pupillæ duplici, nec manibus Mercurii aut Martis (quorum ille furum, hic prędatorum patronus eſt) imo nec Longimano Ioui, nec artibus polito Apollini, ſiquidem is fulmina, hic ſagittas iaciat, aut diſcum, quo Hiacynthus periit & in florem ſui nominis migrauit.

Cap. III.

Quis effectus in genere ſit harum legum, & quæ circumſtantiæ, loci, mediorum, finis & temporis.

DE cauſa efficiente ſeu promulgatore, dictarum legum ſeu regularum, ſatis ſuperq; diſſeruimus, nunc de effectu earundem aliiſque circumſtantiis dicendum erit: Effectus in genere ſuæ cauſæ corre-